QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS CONCERTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA, IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXI. APRILIS, M. GEORGIO CORNVTY, DOCTORE MEDICO MODERATORE.

An ex actione certa prognosis?

PRÆSAGIENDI ratio, securissima Medicorum anchora, ad artis splendorem & ægrorum salutem non parum confert: nam prouidentiæ gubernaculo medicus salutarium morborum curationem audacter aggreditur, deploratorum verò contemnit: siquidem ex ea tanquam è specula si frequentissimos humorum orgasmus, cacoëthiam, subiectorum varietatem, ægri & assidentium errorem, naturæ cum morbo æqualé in conflictu victoriam præuideat, in tutissimum se recipit portum; tùm vt medicamentorum & artis authoritatem conseruet, tùm ne mortis author videatur eorum quos sors peremerit: si verò spem aliquam salutis in ægris persentiscat ex prognosi, remediorum occasione arreptâ, conuenientia tempore & loco bonis ægri rebus præscribit, victúsque rationem instituit, ita vt ex officio Medici sit exitum morbi, modum solutionis & tempus diligenter aduertere, ídque faciliùs in acutis quàm in chronicis.

CVM totius corporis œconomia à tribus facultatibus administretur, omniúmque integritas indubitatum sanitatis argumentum existat, fit vt certissima prognoseως signa ab actione triplici naturali, vitali & animali desumantur. Naturalis enim facultas cæterarum basis, morborum medicatrix perhibetur; quos coctione & excretione profligare solet: hinc ventris segnities omniũ confusio; siquidé rectè se ad ea quæ assumuntur habere bonum, si secus vt est malum, sic si à morbo bellè comedenti corpus non proficiat: cibi fastidium cum cardiogmo & oris amarore vomitum ostendit in febris experte esse moliendum, in morbis diuturnis tanquàm sinistrum omen iudicatur, nec melioris augurij est sitis in acutis præter rationem sedata. Coctio itaque futuræ salutis nuncia requirit calorem potentem ad agendum (qualis est solus innatus) subiecti præparationem ad patiendum, tempus sufficiens ad absoluendam actionem, quæ si sit alimentorum πέψις finem habet nutritionem; si humorum & eorum quæ sunt præter naturam πεπασμὸς, naturæ victoriam in totum pollicetur si detur excretio & expulsio morbificæ materiæ.

VITALIS ægrotantibus maximè omnium necessaria ex pulsu diiudicatur, qui vitæ & mortis fidelis nuncius, vrinâ certior, natiui caloris custos, peculiaris cordis & arteriarum actio, quâ constante spes salutis affulget, deficiente vita superesse nequit: ideò pulsus quò maior & vehementior, eò vires indicat robustiores, ægrotísque securitatem pollicetur, alioquin rarus in morbis suspectus & cum paruitate lethalis; eius inæqualitas semper damnatur si perseueret; intermissio pueris & senibus minus periculum portendit, quàm iuuenibus; defectio altiorem imbecillitatis gradum indicat; ἀσφυξία mortem proximam; formicans in morbis qui diuturnitate vires exhauserunt mortis futuræ præsagium; caprizans naturæ victoriam promittit; conuulsiuus lethalis est, nisi in principio morbi. Vitalis facultatis alterum subsidium respiratio, cuius robur & constantiam demonstrat; si ea facilis in acutis magnum habet ad salutem momentum, in quibus orthopnoëa periculum minatur; si frequens & parua aut doloris aut inflammationis in partibus diaphragmate superioribus est indicium; si magna & ex longis interuallis distincta delirium declarat; si frigida ex naribus & ore prodeat, omninò lethalis existimatur.

FVNCTIONVM animalium cùm triplex sit differentia sentiens, mouens & princeps; prima in quinque sensus exteriores distribuitur, inter quos visus nobilissimus (cuius instrumentum oculus, qui vt se habet ita totum corpus) in acutis hebes, obscurus, aut caligine suffusus vel phantasiæ perturbationem vel proximam mortem portendit: semper lucis auersio mala. Surditas acutis succedens lethalis est; aurium tinnitus in febre ardenti delirium prænunciat. Odoratus imbecillitas frigidioris intemperiei nota. Lingua colore & sapore humorum dominium indicat, eius salsugo plethoræ cacochymicæ signum. Spontaneæ lassitudines sanis morbos denunciant, febricitantibus verò abscessum futurum in maxillis vel articulis. At qui ab aliqua corporis parte dolentes dolorem non sentiunt, iis mens ægrotat; alioquin duobus doloribus partem aliquam infestantibus, qui vehementior est, alterum obscurat. Vt facilis & leuis ægrorum conuersio, & in assurgendo alacritas mouentis facultatis robur, ita corporis grauitas & segnities illius imbecillitatem ostendunt. δυσφορία cum refrigeratione pessima est: rigor febri ardenti superueniens morbum soluit: conuulsiones in acutis febribus sunt funestæ, nisi in pueris.

PRINCIPES facultates per totum cerebrum fusæ, vbi sunt constantes & firmæ eius integritatem & morbi εὐήθειαν significant; contra delirium cerebri patientis certum est argumentum, quod tantò periculosius est quantò à bile ferociore nascitur, maximè si modestis aut iam fractis viribus accidat (hinc à sanguinis profluuio desipientia malum) cum sopore conuulsioné adfert, cum tremore lethale est, circa necessaria pessimum. Neque vero minus periculum demonstrat ignoratio cum rigore, vel memoriæ iactura frigidæ intemperiei comes & soboles, quæ si calidæ succedat, nunquam restitui potest. Communis sensus affectiones somnus & vigilia si modum excesserint malum; sopor in febribus lethargum minatur, aut futuram parotidem pollicetur; coma vigilans in acutis perniciosum est; quibus denique in morbis somnus laborem adfert exitialis censetur; turbulenta feróxque excitatio à somno delirium arguit aut conuulsionem. Cùm vigiliæ perpetuæ, cruditatis, reficcationis, biliosi sanguinis, delirij & exolutionis virium causæ sint, idcirco morborum funestorum effectrices iudicantur.

Ergo ex actione certa prognosis.

Asserebat Lutetiæ Petrus Comuny Bituricus, Anno R. H. M. DC. XVI.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Ioannes Tournier.
M. Iacobus Perreau.
M. Guillelmus Gerbault.
M. Franciscus Lessicier.
M. Franciscus le Sage M. R.
M. Georgius Cornuty Præses.
M. Simon Pietre.
M. Georgius Cornuty.
M. Claudius Boyuin.